



### §. I.

#### *Instituti ratio exponitur.*



Corporibus, et contemplatione eorum, ratione effectuum et causarum, physicen occupari, veramque notionem eius hac ipsa naturae contemplatione constare, neminem doctorum virorum fugit. Neque tamen, et si haec notio adeo clara sit, defunt, qui eam plane non intelligent. Quidam enim tantum phaenomena colligunt, ea recitant ex ordine temporum, quibus aeciderunt, seque ita naturam explicasse opinantur; etiam si neque ad veram, neque ad verosimilem causarum explicationem respiciant. Alii e contrario phaenomena plane negligunt, et de causis solis cogitandum esse putant, ideoque, reiectis plane phaenomenis, meras hypotheses, nullis principiis nixas, struunt. Cum vero hac methodo neutra pars naturam ipsam examinet, et tractet; potius amborum methodi coniungenda sunt, ut ita demum natura, quantum pro imbecillitate humana fieri potest, indagetur. Primum igitur phaenomena colligenda sunt maxima cum diligentia, deinde cum principiis Chemiae, Matheseos

A

et